

Kern 237 (1-26)



22

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
ANGINA GANGRAENOSA
EX FEBRE PUTRIDA

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
ET
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
IN ALMA LVDOVICIANA
PRO
DOCTORIS GRADV ATQVE PRIVILEGIIS
IN SCIENTIA SALVTARI RITE ET LEGITIME
OBTINENDIS

PVBLICO ERVDITORVM DISQVISIONI
DIE XXVI. OCTOBR. MDCCLXXX.
SVBMITTET

A V C T O R
WILHELMVS BOOKE
HILDESINVS.



G I E S S A E
apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

ARGENTINA CANON AINOSA

IX TERRE PAVIDA

STANFORD UNIVERSITY

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

UNIVERSITY OF MICHIGAN

UNIVERSITY OF TORONTO

UNIVERSITY OF WISCONSIN

UNIVERSITY OF ILLINOIS

WILLIAMSBURG BOOKS

UNIVERSITY OF MICHIGAN

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

UNIVERSITY OF WISCONSIN





PROOEMIUM.

Tractationis huius de angina gangraenosa an-
sam mihi dedit morbus, quem fausta for-
tuna duce excellentissimi atque experientissi-
mi D. D. Ehrmann, Physici Argentoratensis
eximii, fautoris atque praeceptoris pie colendi,
sum expertus, qui postea mihi saepius obsuit,
infantes aequae ac adultos senes autem raro quin
rarissime morbo hoc complicato correptos vidi; is-
que eo maiorem meretur attentionem, quo plus pe-
riculi portendit; & generi humano quam maxime
gravis & noxius est, ideoque cogitationes meas
speciminis inauguralis loco, festinante quidem cala-
mo traditas, communicare mihi liceat.

A 2

§. I.



§. I.

Inter epidemicos morbos sane diiudicatu, & curatu
difficillimi pronuntiari merentur illi, vbi sanguinis
crassamento putris aspergitur labes: Climatis
siquidem, aliarumque virium nocentium mira hic va-
rietas, ipsorumque malignorum morborum nec vultus
nec color vnus est. Inde machaonum maximus labor,
in constituendis horum morborum classibus, inde dif-
fensus, variaequae medicorum lites, quas componere
sane difficile est.

§. II.

Militat inter huius farinae mala, illa singularis
morborum putrium; vtplurimum epidemice grassan-
tium, nec vlli aetati parcentium, species, in qua
quidem putris squalor toti massae humorum innidu-
lans veram malignam, syncho putri quoad genium
accedentem, remittentis, rarius intermittentis typi,
febrem accendit, quae tamen tumore peioris indolis
ac escharotica, foeda exulceratione, ad illa inprimis
respirationis atque deglutionis mucosa organa, quae
angina spuria catarrhalis vulgoprehendit, presso pe-
de

❖ ❖ ❖ ❖ ❖

de ex propria natura excipitur, per metastasin symptomatam huc versi septici, semicocti fomitis, inflammationem, ac dein diabrosin ichoroso gangraenosam, serpentem excitantis, progenie.

§. III.

Varia anginae gangraenosae est diuisio. Quando videlicet febres putridas in peculiaria corporis loca non affectates, sed metastases incertas, ad glandulas, *collum*, pectus, sacci peritonaei viscera eminenter in toto decursu infestantes diuido, malum inter topicas gutturis febres iure loco, rursus illud in respirationis vel deglutionis organa primario, vel vtraque simul affligens dimembranas: Haec localis diuisio. Materialis illa est, qua fomes certarum constitutionum in primis vel secundis viis praecise quaerendus venit. Cynanches sic gangraenoso biliosae DUPUY de febribus bilioso putridis §. 3. memor est, non praecipue infantes, sed & adultos, senes, mares, foeminas indiscriminatim prehendentis, a putri biliosa colluue sanguini ex prima culina affusa deriuandae. In secundis viis ortum sumens morbi fomes rursus vel genium anginae inflammatoriae verae in gangraenam versae induit, vt cynanche inflammatoria gangraenosa picardiae teste DEBERGE de angina vel mox foedum morbi actu putris depromit characterem, vt ab HVXHAM caeterisque Anglis depicta labes.



§. IV.

Discrepat Angina Gangraenosa essentialiter a vera illa in sphacelum versa in eo, quod haec non praedispositos, malis succis turgidos, neglectos, male curatos &prehendat; mea vicissim totas depopuletur vrbes ac regiones & sanissimos quosque corripiens. Differt porro, quod putrida amphimerinam, siue continuam remittentem quotidianam, raro intermittentem; vera comitem alat mox continuam, cum pulsu duro, febrim. Differt a metastasi alius maligni morbi, quae tardius, sporadice vt plurimum,prehendit gurgulionem. Differt ab aliis epidemiis in eo, quod tantum paucos homines vna agrediatur vice, contagiosa licet sit, MARTEAV de angino gangraenosa epidemica, asthmae, anhelosisque aliis morbis praesentia doloris strangulatorii, ac aphta gangraenosa gutturis, nec non respiratione (Pharynge praecipue prehenso) minus, imo vt plurimum nequaquam alterata seiungitur.

§. V.

Angina gangraenosa gradu vehementiae & velocitatis pro varia constitutione & subiecto discrepans, nihilominus tria vbique adoptat stadia, pro diuerso climate, mora eximie variantia: nimirum inuasionis, inflammationis, & resolutionis succorum in putrem tabum, licet mox in secundo aphta metastatica ad fauces siderationem prodens, appareat, imo nonnunquam inuasionem praecedat, quale quid adeo frequenter
in



in pestilentialibus morbis alibi fieri notarunt auctores. Sub inuasionem infantum uulua prolongata altius propendet, leuis, nullo praegresso horrore, calor cum dolore fauces prehendit, lingua plus minus tumidula, humida, ast non conspurcata est, parca tunc ut plurimum notatur febricula inprimis fere viginti quatuor horis altera tonsillarum alba tegitur macula, quae aphtae genium adipiscitur. Haec absque tumore visa undique extenditur, uulam prehendit, quam depascitur, versus pharyngem descendit, ad SCHNEIDERI pariter membranam propullulans. Nares crebro fufum pluunt cruorem. Inflammatio febre ex hoc tempore aucta indigitatur. Hoc stadium comitatur graueolens spiritus, eschara albicans, fixa, spissescens, crustaceafacta lardo similis per plures petiolos altius inhaerens, vel post secessum nouam prodens, pulsus frequentior quidem, ast minus ad tactum, quam in vulgari phlogosi, durus est, uti in hocce omnium putridarum constitutionum a clinicis notatur stadio. Lotium minus quam in angina vera, flammeum potius pallidum, tenue, crudum, parcum, profundioris apud adultos coloris, mingitur. Carotides vehementer micant, nulla cephalalgia, delirium nullum adsunt, narium cruentum perseverat stilicidium, membrana pituitaria ulcere gangraenoso exeditur, vox nasuta, ad articulationes vix apta, crebram narium expurgationem desiderat limpidum, acrem fundentium ichorem. Summa vrget macies.
Paro.



Parotides quibusdam absque suppuratione ab vna ad alteram migrant aure. Stadium tertium vrina cruda, foeces nigricantes portendunt. Cum his nullum sputum, nulla ex gargarismatibus, & summo acore animatis vtilitas, vires fractae pulsus intermittens, odor cadauerosus, tracheae, pulmonum vlcere erosorum respiratio molestissima, sibilosa gangraenam nobilis visceris, & necem quinto, frequentius septimo, aut nono praesagiunt die, acie oculorum nec in agone fracta.

§. VI.

Adultos quod attinet, hic morbus nihil inuasio-
ne irregularius: inuadit siquidem adultos mox leui
caloris, & doloris faucium sensu, febricula vix per-
cipienda, elapso biduo, triduoue euidentiore, remit-
tenti, vel intermittenti facta; mox lassitudo, torpor,
oscitatio, caloris frigidioris alternantium sensus; mox
subitaneus rigor, obtusus tonsillarum dolor, inopina
ad aures lateris mox efficiendi punctura; mox tumor
magis, minusue dolorificus parotidum, maxillarumue;
vel denique vomitus absque molesto stomachi sensu
aegrumprehendunt. Sanguis venae tusae coccineus,
secedens placentam gelatinosam, raram, serum copio-
sum flauum monstrat. Lotium in limine tenue, pal-
lidum, sero lactis aemulum, malo aucto biliosum, me-
liori re turbidum, sedimentum farinaceum praecipitans
mingitur. Haec sensim grauiora excipiunt sym-
ptomata: difficilis deglutitio; atrocior faucium, ad au-
rem



rem alterutram sese extendens dolor, cum sonitu, tinnitu, bombo; dolor capitis grauius, vel punctorius; febris aucta semper tamen inflammatoria vera mitior, vesperi recrudescens, pulsus paruus, celer, paululum durus, raro mollis, magnus, vndosus; nausea, ructus nidorosi, apositia, vomituritio, vomitus materiae aeruginosae; diarrhoea rarior; facies pallida, plumbea, tumidula, oculi fixi; tonsillae indolentes, tumentes, ex albo pallidae, vel fusco rubrae; sanguis missus crusta tenaci plumbea tectus. Gangraenae vero stabilitae nuntii sunt sequentes. Cruor venae sectae gelatinosus, viridescens, nigricans, marmoraceus; memoratae gutturis partes cuticula alba, plus minus crassa tectae, subinde tantum maculae albae tonsillarum, confluentes, & aphtham serpentem fingentes, (signum pathogmonicum) breuissimo quidem tempore, ita vt os bihorii spatio his plane obducatur efflorescentiis. Hae partes vicinas, gurgulionem, palati velum, residuas hic locatas glandulas momento citiusprehendunt, quae tument, liuescunt, ac dein crusta tenaci, alba teguntur. Inde adeo manca fit deglutitio, vt spurco spectaculo potulenta per nares eiiciantur. Cum his lingua albis contaminata sordibus, saliuatio mucosa, graeolens; altius repente serpens mephytis tria peculiaria praeprimis lucratur loca, nares, laryngem, vel pharyngem. Si ad SCHNEIDERI membranae mucosos vergit fontes, vox sit nasuta, ichor limpidus, rodentissimus e naribus stillat, ingruit sternutatio,

B

tatio,



tatio, inutilis ad mucum eliciendum conatus, partium tumor, solutique cruoris e naso stillicidium; si ad laryngem, vox rauca euadit; si ad tracheam, vox nulla, si ad pulmones, tussis impotens, ferina, oppressio pectoris, mors, si denique ad pharyngem, oesophagum, ventriculum descendit, vt plurimum conclamata res, singultus, vomitus iners aegrum auferunt.

§. VII.

Efflorescentiae cutis huic morbo solennes sunt vel ex critico - metastaticae, vel symptomatice pessima quaeque designantes. Consistunt vero vt plurimum eruptione flammea, apud infantes febris scarlatinae exanthematibus aemula, vel cutis ex fusca fit rubra, minimis pustulis duris hirta, facies, oculi, brachia absque sudore vt plurimum tument, in collo, brachio, pectore pruritus excitatur. Eruptione secundo, aut tertio facta die, albidae fiunt maculae, cutis bono desquamatur signo. Si primo iam die apparent, vt plurimum pessimi ominis purpureae, fuscae, violaccae genium aegre mutabiles deprehenduntur. Terminatur porrò vel felici metastasi ad parotides morbus; vel crisi per sudores desquamantes, lotium, sedes, ptyalismum conf. HVXHAM in lib. de feb. mal. & MARTEAU in lib. de angina gangraenosa, vel lyfi, si eschara sensim minor fit, alba, tenuis, si partes vicinae natium recuperant ruborem, si eschara dehiscit, & inter fissuras carnes subiacentes viuidae,

dae, floridae apparent, si deglutitio facilior. Nec vicissim lues terminatur, si aphta semper magis propululatur, si crusta, crassa, flava, grysea, fusca, nigra, partes vero adiacentes ex fusco rubrae apparent, si eschara decidua mox regeneratur, spongiosae, tumidulae, liuidae fiunt subiectae carnes, fauces insensiles, lingua prope basin valde tumet, graeolens intenditur halitus, oculi concaui, lacrumantes, extremitates plumbei obseruantur coloris. Pessimae notae ad summum culmen peruenit quinto aut sexto die apud iuniores epidemia; apud adultos tardius, vndecimo vel duodecimo vt plurimum die. Horum tamen aliquos secundo aut tertio die iam necatos vidit HVXHAM, tardius peripneumonia, coma, pulmonum vlcus trucidauit.

§. VIII.

Praeter aurae alterationes ARETAEVS de morb. acut. cur. allegat plures huius morbi potentias nocentes. Agmen inter has claudat metus contagii tempore susceptus notante CHOMEL de morbis infantum l. 2. p. 10. magnetis instar per vtriusque corticis corporis inhalantes poros ac canales epidemicum attrahens virus. — GALLENVS epid. lib. III. §. 9. putrescentia singula peculiarem quandam differentiae speciem sortiuntur, a communi putredinis causa effatur. Haec veritas, si vllibi, sane febris malignae, contagiosae pestilentialis HVXHAMI. Causa proxima pulcherrime corroboratur. Est vero illa repentina, post aliquot

B 2

prae-



praegressa, sub inuasionem symptomata, epidemica tonsillarum inflammatio, vel glandularum adiacentium mucosi generis, quam plus minus cita presso pede excipit, certo expectanda, necrosis ac destructio partis; adeo velociter itidem proserpens, ut nobiliora attingens loca ineuitabili aegrum tradat neci, nisi artis ope, rapide correcta humorum massa, destructum a viuis protrudetur organis. Contagium non nisi a posteriori notum, & alios putres morbos accendere capax iuxta MARTEAU quod minus hic per poros inhalantes corticis corporis, quam per vias aereas, cibariasue euidenter fugi, primaeque culinae biliosae putrilagini minus adaequate a DUPUY de morbis malignis Tom. XVIII. p. 504. primario tribui videtur, characterem omnium putridorum miasmatum fideliter tuetur: scilicet in loco cum aëre quam maximum commercium alente, tenerrimo rodendo phlogosin quidem, aut febre inflammatoria multo mitiori, remittenti, intermittenti, imo vix obseruabili stipatam, excitat, durante qua sanguis missus raro illam decantatam, crustam fingit quaeque, celerrime ingruente vniuersali humorum solutione, in coenosam, amurcosam aqulam sistitur, vel ad visum minuitur, prout energia contagii, & aegri dispositio constituta est, dum interim vix inflammata pars in aphtham gangraenosam ruit, vel desquammatam vel altius proserpentem, parte alias debili, adhuc debiliori per tabum facta. Sed si quaeritur, Cur, cum tot putridarum symptomatibus in-



infantibus praecise hic deficientibus, his nec debilitas, nec apositia, praecipui febrium malignarum characteres vt plurimum sint solennes, responderem: haec aetas principio mucofo crassamenti GAVBII inst. pathol. §. 278. ob. diaetam & laxiorem compagem, turgidior, ad catharrhos pronior, prae adultis alias succulentior, putredinis in gelatinoso & adiposo sanguinis principio nidulantis tardius experitur sequelas, tenellorum hinc nutritio lentius pessundantur, & cibi desiderium in voracibus per se. Ipse gangraenae album colorem seruantis genius, ob tardiorem humorem impetum & mucosos humores primario affectos, hanc multo mitiorem esse, quam putrefacti gelatinosi, vel pinguedinosi succi nigram escharam, exasse probat. veritatem demonstrat succedens malo mors, qua suffocantur potius purulentis pulmonibus, quam necantur gangraena faucium topica, quale, quid in angina vera sphacelo excepta atro tamen euentius accidit. Sane mitissimam omnium crassamenti partium gangraenam esse suspicor, quae mucofo innidulatur principio, (cum fibrae sanguinis altius inhaerere posse vix credibile) ex eo hariolor, quod III. HALLER Physiol. Tom. VI. p. 51. sq. muco vim tribuat salinae & liquoris exhalantis oris putrefactionem morantem, in quibus iam ex natura putredinosi quid credas subesse. Mirum interim contagium muco impregnatum adeo veloces edere effectus; vt teste HUXHAM §. 7. citato Tom. VII. p. 246. & MARTEAU





de febribus malignis Tom. XI. p. 145. 'Si in gente ingruit, omnes infantes inficiantur, ni separentur illico, & adultis circa aegros versantibus mox, halitu communicato, infensum, eum vicissim venereum, mucoco quoque eminenter agglutinatum, tardiori ambulet passu, nec nisi tractu temporis suas ludat tragaedias.

§. IX.

Symptomata putridae febris, qualibet constitutione variabilis, pingere, cuius contagii vera natura nondum confecta, ardua res est. Sequentia tamen in haecenus observatis eminent epidemii. Malum alios rapide, alios non nisi gradatimprehendit, quo ultimo casu differentes periodos haud eadem percurrit velocitate, quinto, tertio iam die necans, imo spatio triginta octo horarum, quidam adulti non mox decumbunt, infantes fere omnes. Apud hos symptomata plus minus prompte sese manifestant, prout causa putrida validior tenerius corripit corpusculum in moribundis incrementum & status confunduntur, ast in hoc ultimo semper pereunt. Febris ultra quadragimum quintum diem protensa adhuc iugulans visa est. In ancipiti valde bivio locati mihi videntur praepriis illi, quibus nares, fauces, pulmones, primae viae & a quacunque praegressa causa debiliores solito, fomitem magnetis instar attrahunt. Inde nimius affluxus ad colli glandulas citissime suffocans visus & earum expansio nimis cito funesta visa tristes quoque



quoque ad cerebrum & bronchia metastases HVXHAM de febr. mal. Tom. VII. p. 251. Agonis prodromi tunc sunt narium stillae, odor cadauerosus, faucium sibilus pulsus paruus, frequens, concentratus, irregularis.

§. X.

Non potest non pessimus morbus, pro variis constitutionibus, ac aetate adeo varians, quoad medelam miris obnoxius esse tricus. Clinicis interim per fida obseruata, & hic adeo splendida affulsit haecenus lux, vt morbum ex asse putrem, iuxta genium harum februm, in triplici intueantur periodi stadio: inuasionis scilicet, inflammationis, & resolutionis, in vno quoque indicationum therapeuticarum, vitalis, causalis, & denique curatoriae memores, & id quidem pro vario luis vehementiae gradu, quo citius aut tardius correpti vix in tabum diffluit massa sanguinea aegrotantis. Curam infantum ad amissim delineasse mihi videtur cl. CHOMEL de morbis infantum Lib. 3. p. 72. dum tres praecipuas format indicationes, nimirum progressum putredinis prohibere; formatam destruere escharam; & viribus vitae prospicere. Ast, cum progressum tabi refraenare venae sectione & emetico doceat, valde miror eum tria stadia minus adaequate distinxisse, quae hunc morbum sub triplici schemate sistunt, quorum cuilibet vtrumque hoc remedium non aequaliter arridet. Sic ipecacoanham, tartarum stibiatum, praeprimis oxymel squilliticum
circa




circa inuasionem malo versus nares verso; cruditatibus vero obsessis aut serum lactis acidulum purgans tamarindinato tartarisatum cum manna, vel clyfma laxans monente HVXHAM §. 7. cit. malo ad primas vias descendente, porrigerem; inflammationis stadio venam tunderem, & quidem non nisi vltima necessitate debitisque cum cautelis; resolutionis vero sub indiciiis penitus ab vtroque abstinerem, vtpote cui stadio cardiaca optime quadrant simul tabum corrigentia, vt cortex PERVVIANVS, qui certe omnium princeps est. Cum morbus quoque acutissima terreat putredine, ipsis iusculis pullorum & vitulinis, acidulis herbis licet maritatis, serum lactis cum succo citri merito praeponerem, nec denegatis gratioribus acidorum fructuum mucilaginis, victum animale[m] vero penitus prosciberem.

THESES ANNEXAE.

- I. Quod ad medicamenta heroica attinet, prudentia quidem, non vero timiditas in medico est laudanda.
- II. Non in omni phthisi indiscriminatim, omni tempore & in omni casu promouenda est sputorum exscretio.
- III. In morbis rheumaticis, plusquam omnia reliqua remedia laudandae sunt vrticationes.
- IV. Ipecacoanha merito tartaro emetico est praeferenda.
- V. Scorbuticis fortiora purgantia nocent.
- VI. Puerperis, si morbus exigit, secure exhibetur emeticum.
- VII. In febribus mere inflammatoriis minus conueniunt acida mineralia, quae vero in putridis maxime profunt.
- VIII. Methodus venae sectiones in morbis inflammatoriis vsque ad pulsum naturalem instituendi est quam maxime damnanda.
- IX. Vteri inaequales contractiones saepissime a violenta placentae ab vtero separatione oriuntur.

W 18 Pica





22

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
ANGINA GANGRAENOSA
EX FEBRE PUTRIDA

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO

GRATIOSI M

IN ALM

DOCTORIS GRA
IN SCIENTIA SAL

PVBLICO ER
DIE XXVI

WILHEL



apud IOANNEM L

